

intravit : S. Petrus Cælestinus ad eandem electus dignitatem, humili asello vectus Romam perrexit : S. Otho Bambergensis et S. Norbertus Magdeburgensis, episcopi, uterque similiter ad occupandas suas sedes abeuntes, ubi primo conspexerunt eas de procul, detractis

sibi calceis nudipedes urbem et ædes suas ingressi sunt. Quid hi aliud sibi voluere, nisi quod viginti quatuor illi seniores, jactare scilicet coronas suas ad pedes Christi Domini? Quid aliud nisi dicere : *Non nobis, Domine, non nobis, sed nomini tuo da gloriam?*

DOMINICA XIV. POST PENTECOSTEN.

EVANGELIUM. MATTH. XX.

In illo tempore, dixit Jesus discipulis suis : Nemo potest duobus dominis servire. Aut enim unum odio habebit, et alterum diliget : aut unum sustinebit, et alterum contemnet. Non potestis Deo servire, et mammonæ. Ideo dico vobis : Ne solliciti sitis animæ vestræ, quid manducetis : neque corpori vestro quid induamini. Nonne anima plus est quam esca? Et corpus plus quam vestimentum? Respicite volatilia cæli, quoniam non serunt, neque metunt, neque congregant in horrea : et Pater vester cælestis pascit illa. Nonne vos magis pluris estis illis? Quis autem vestrum cogitans, potest adjicere ad staturam suam cubitum unum? Et de vestimento quid solliciti estis? Considerate lilia agri, quomodo crescunt : non laborant, neque nent. Dico autem vobis, quoniam nec Salomon in omni gloria sua coopertus est sicut unum ex istis. Si autem fœnum agri quod hodie est, et cras in clibanum mittitur Deus sic vestit ; quanto magis vos modicæ fidei? Nolite ergo solliciti esse, dicentes : Quid manducabimus, aut quid bibemus, aut quo operiemur? Hæc enim omnia gentes inquirunt. Scit enim Pater vester, quia his omnibus indigetis. Quærite ergo primum regnum Dei et justitiam ejus, et hæc omnia adjicientur vobis.

CONCIONES.

- | | |
|--|---------------|
| I. Providentia Dei circa hominem specialis. | IX. Mysteria. |
| II. Nimia sollicitudo pro rebus fluxis ableganda. | |
| III. Lilia agri quid nos doceant. | |
| IV. Volatilia quid nos doceant. | |
| V. Quam difficile sit divitem Deo servire. | |
| VI. Quomodo divitiæ haberi absque peccato queant. | |
| VII. Quare velit Deus sanctos aliquos hic florere divitiis et honoribus, adeoque prosperari. | |
| VIII. Documenta. | |

CONCIONES AUCTARII.

- I. Volatilia cæli quam varie serviant homini mira Dei providentia.
- II. Providentia Dei elucet in corvis.
- III. Homo qualis sit lilia ostendunt.
- IV. Lilia, seu flores, Deum nobis monstrant.
- V. Servitus divitiarum quam misera.

CONCIO I.

PROVIDENTIA DEI CIRCA HOMINEM SPECIALIS.

- I. In nominum sustentatione. — II. In diversitate vultuum. — III. In hominum conservatione : 1. Statuum conservatione. 2. In principum directione. 3. In desolatorum hominum sublevatione. 4. In variis commoditatibus. 5. In hominum armatura. 6. In variis divinæ ultionis et benignitatis exemplis. 7. In peccatorum permissione. 8. Ex malis Deus bona facit.

THEMA.

Scit enim Pater vester, quia his omnibus indigetis. Math. VI.

Magnus ille Zorobabel instaurator templi Salo-

monis, cum incidisset in diffidentiam de consummatione templi ostendit illi Deus in visione candelabrum septiceps, quod habebat lucernas septem et totidem infusoria seu calamos, per quos stillabat oleum in lucernas, uti legitur Zach. IV. Significabat autem candelabrum secundum Theodoretum, Dei providentiam luce clariorem. Septem lampades, angeli sunt, quibus administris utitur Deus in mundi gubernatione : septem calami significant varios divinæ providentiæ modos et influxus, quibus se creaturis et potissimum hominibus insinuat. Quoniam igitur non communiter hoc diffidentiae vitio laboramus, contemplabimur hoc providentiæ can-

delabrum, et imprimis septem modos, quibus ea influit in hominis maxime gubernationem. Qui ad septem ista lumina, quæ vobis hic accendam, nondum cernere vult paternam Dei de nobis curam et sollicitudinem, ne illum cæcum esse jure aliquis dixerit.

I. Elucet in hominum sustentatione. Primo enim, quamprimum fœtus in utero matris adolescit, statim incipiunt matris ubera turgere, ex quibus velut penu depromantur infanti alimenta. Deinde, ingenitus parentibus erga liberos amor est, ut de necessariis illis provideant et vitam tueantur, adeo ut ea sibi potius, quam suis liberis subtrahant. Reliquorum animantium fœtibus fere mater tantum assistit, pater eos negligit, et quandoque hostiliter persequitur: quemadmodum de pavone et columbo scimus, qui femellarum ova frangunt; at soboli humanæ pater æque ac mater naturali amore devincti sunt, et in eorum defectu succedunt tutores, cognati et magistratus. Ad hæc communis ille Deus et mundi paterfamilias, exigua quædam stipendia, angusta habitacula et vix unum alterum ve amicum bestiis assignavit; homini contra universa. Belluarum aliæ herbis victitant, aliæ carne, aliæ frumento, et si quæ multiplice vescuntur cibo, uti canes et feles, qui fere ex hominum mensis pascuntur, is tamen admodum limitatus est. At homini quidquid libet apponitur, ipse omnia habet, promiscueque universa accepit. Nullum animal in aere, aqua, terra degit, quod homo in culinam suam non coquat, et servire sibi compellat. Quod ad potum attinet, bestię sola aqua restinguere sitim solent: homo plurimis potuum generibus utitur. Vestitus item cæteris animantibus tenuis et simplex est; aves pro amictu plumas habent, terrestria et aquatilia pelles et squamas; homo autem universa. Ipse enim non animalia tantum et herbas, sed metalla etiam, in pannos sindonesque convertit, ipsi oves, vermes, agri, arbores vestimenta gignunt. Magna quidem brutorum industria est ad victum sibi parandum. Araneorum aliæ retia texunt ad capiendas muscas, aliæ saltu eas intercipiunt: erinaceus inventa poma aculeis suis affigit deferenda in cubile: vulpes in Cantabria, Hispaniæ provincia, caneros e mari piscantur, immergendo caudam aquæ, eamque ubi cancri morsibus ei adhæserint, iterum ejiciendo, canerorum præda onustam, Anton. de Baling. in zoop. cancer ipse conchas venatur, inserendo lapillum in hiatus earumdem, cum se ad solem explicant et testas nonnihil diducunt, ita hostem apertis mœnibus aggreditur et devorat, Ambr. et Basil. in hexam. suis: aquila testitudinem

raptam in saxum dejiciendo frangit: eadem cervum pulvere excæcat verberando alis, ut in rupes det præcipitem. Sed longe major hominum industria. Ecquando enim ratio oritur, manus feriat, merces non conquirat, victualia non invenit et nova quotidie corporis adjumenta explorat? Jam si habitationem spectes, habent bestię sua spelæa, aves nidos, pisces latibula; quæ etiam norunt mira arte extruere, ne pateant insidiis, v. g. alcyon, quæ facit nidum ex arbore pendulum, nec alteri nisi artifici pervium. Sed nihil hæc cum artificibus, splendore ac luxu domorum, navium, hortorum, palatiorum, civitatum, quas sibi extruunt homines.

II. In diversitate vultuum et vocum. Videmus quidem in singulis animantium generibus singulas differentias, ut internosci queant; et cum ad usum hominum opus est, etiam in individuis, ut in gallinis, columbis, et quibusdam aliis. Cæterum in plerisque speciebus individuorum paritas est, quia discretio individuorum necessaria non erat, et si visus postulet aliqua internosci, id notarum impressione facile obtineri potest. At vero in humana specie tanta individuorum differentia est, in vultu præsertim ac voce, ut nonnisi rarissime duo reperiantur, qui vultu ac voce similes sint. Fuit autem necessaria istiusmodi varietas; sine hac enim nec posset justitia inter homines conservari, nec reip. forma consistere. Finge homines vultu similes instar ovium, passerum, corvorum: nec mariti poterunt discernere suas uxores, nec parentes suos liberos, nec creditores suos debitores, nec amici suos inimicos, nec magistratus maleficos, nec subditi suos principes, ac proinde omnia plena erunt adulteriis, incestibus, fraudibus, proditiis, cædibus, omniaque maleficia impune committi poterunt, quivis enim poterit fingere se quemlibet, uti exempla docent eorum, qui similitudine vultus confisi, alienos thoros, patrimonia et regna invadere ausi sunt, interdum felici eventu, interdum irrito conatu: semper tamen cum ingenti perturbatione et multis incommodis. Rursum, quia sola vultuum discretio satis non erat (sæpe enim agitur res in tenebris, sæpe acies oculorum retusa, lineamenta faciei exacte non discernit, interdum quoque magna est vultuum similitudo) succurrit discrimen vocis et soni locutionis humanæ, ut qui ex vultu dignosci nequeunt, ex voce discernantur.

III. In hominum conversatione. Inter mille beneficia nos hic tria tantum commemorabimus, primum, in conversatione tot tamque variorum statuum: alterum, in directione principum: tertium, in sustentatione hominum derelictorum.

Quod ad primum, sunt quidem et inter bruta alia domestica ad quotidianum hominum usum deputata, alia silvestria, et ex his alia, quæ venantur minora, inutilia et noxia animalia, ne mirum multiplicentur, quales ciconiæ quæ ranas, bufones, serpentes: hirundines quæ muscas: alia quasi infamia ut corvi, lupi, etc. quæ cadavera depascunt: alia liberalia, quæ delectant hominem, uti aves cantu, loquacitate, prædatione, etc. at multo major inter homines officiorum et statuum est differentia ut respublica conservetur. Vidimus enim omnis generis studia et opificia excogitari et conservari, ita ut nulli humanæ necessitati desint homines, qui operam adhibere nolint et velint, adeo ut etiam abjectissima quæque servitia, qualia sunt licitorum et carnificum, item laboriosissima et periculosissima, qualia nautarum, hydraulorum pugilum, pastorum, etc. sectatores, imo et competitores habeant. Et hoc totum præstat Deus media paupertate, quæ et artes excitat et ad vilissima quæque subeunda homines compellit. Nec minus miranda est Dei providentia in conservandis imperiis, quæ cum labefactari et vergere ad interitum incipiunt, subinde velut pondera in horologio rursus attolluntur. Verbi gratia, Rom. imperium cum ruere cœpisset a tempore Theodosii usque ad Carolum M. ab hoc iterum instauratum et pristinae felicitati restitutum est. Rursum id a Friderici tempore paulatim deficiebat et interitum minabatur ob discordias principum. Itaque Dei nutu per Rudolphum imp. prius comitem ab Habsburg. denuo reflorescere cœpit.

Secundo, quia status aliqui magis sunt obnoxii periculis, majora illis præsidia a Deo provisiva sunt; imprimis reges terræ, quibus fere omnibus viros sapientes adjunxit Deus, ut saltem naturæ legem et justitiam ab iis discerent. Scimus enim Ægypti regibus missum a Deo Abrahamum, postea Josephum, a quibus legem Dei edoceri poterant: Pharaoni Moyses datus: Ninivitarum regi Jonas: Babyloniorum regibus Nabuchodonosori, Balthasari, Cyro, Artaxerxi Daniel, Esdras, Nehemias, Zorobabel: Assuero Mardocheus: regibus Israelitarum Samuel, Nathan, Elias, Eliseus, Michæas, etc. Alexandro M. Aristoteles, Philippo ejus patri Plato: Croeso Solon: Herodi Joannes Baptista, etc.

Tertio, quia sæpe accidit homines aliquos prorsus derelinqui et omni humana ope destitui, non deserit tamen eos Dei providentia. Multis hoc, si tempus ferret, ostendere exemplis possem. Duo videamus, unum in adulto, alterum in infante. Narrant plures auctores (Jo. Fischerus episcopus Roffensis, Angliæ martyr, lib. IV. con-

tra Oecolamp. fr. Petrus Ponetus Carment. de verit. euch. p. II. cap. II. p. Richeomus, in suo peregrino) tanta fide ut nemini dubium esse possit: « Sacerdotem quemdam necessitate nivis et algoris adactum, dum in Alpibus a via deerasset, et mitiorem a ventis et nivibus vallem invenire sperans desiliisset, neque reductum quaquaversum exitum reperisset, neque unde desilierat propter altitudinem reascendere posset, sub exesam et propendentem rupem sese fame moriturum plane desperandum conjecisse. Sed ut erat luna plena, vidit nocte serpentum diversa genera contendere ad lapidem quemdam, et illinc linguis suis eundem lingere, ac post horam quoque in antra sua reverti. Et incidit ei cogitatus, quidnam illic ita lingerent. Sequenti item nocte factum est simile; et miratus est intra se amplius quod ita fieret. Tertio, demum nocte jam pene viribus destitutus, ante omnes ipse accessit et linxit, et inter lingendum ita restitutus atque refocillatus fuit quasi cibo reffectus. Et sic per totam illic hiemem sub rupe latitavit, donec in fine aprilis nive soluta, pervis jam factis Alpibus, quosdam audiret in vicinia colloquentes, quorum ope adjutus et extractus est. » Alterum refert Procopius, et ex eo Simon Maiolus episcopus Vulturariensis, to. I. canic. coll. IV. « Belisario etenim Picenum agrum adversus Gothorum impetus tuente, ingens ejus homines terror invaserat; femina itaque cum de repente fugam capesserent in loco, ubi Urbisalta oppidum fuerat, quædam edito partu, eoque pannis, ut licuit, involuto, et in terra relicto, nusquam deinde comparuit, aliquo utcumque casu sublata. Infantem illum in solitudine jacentem ac vagientem, capra quædam adventit commiserata, quæ et ipsa recens fœtum ediderat, accedens ubera præbuit exsugenda, diligentique cura servabat, ne canis, aut quævis alia belluæ puerum offenderet. Obtigit post dies plurimos, ut Piceni ad sua quisque redirent. Dum in Urbisaltam permixtæ cum viris feminae pervenissent, inventus superstes puer; nec quomodo id evenisset, ut ibi infantulus vixisset, conjectura ulla quisquam assequeretur; alia ubera porrigebat, alia blandiebatur, alia fovebat sinu: ad ille insuetam muliebrem, lac respuebat. Interim capra adfuit, et balatu fremens hunc circumibat, ægre se ferre subindicans, mulieris infantulo appropinquasse. Ubi id animadvertere mulieres, prorsus abstinere a puero, capræ officium tum alendi, tum servandi permittentes: ex eaque populares puerum illum Ægysthum appellaverunt. » Quis non miretur hic Dei miram providentiam?

Quarto, in variis commoditatibus, solatiis et blandimentis, quibus hominem oblectat per varias creaturas. Habent quidem et cætera animantia suas oblectationes, ludunt enim in aquis, aere et silvis, fruuntur suis deliciis, gaudent prædis, etc. sed nihil hæc ad hominem, cui plurima providit Deus, quæ soli ipsi serviunt, ut pulchritudo florum, rosarum, liliorum, violarum et aliorum diversorum, quorum odor et color non brutis sed hominibus subservit. Quid dicam de gemmis pretiosis? De unionibus, pyropis, smaragdibus, sapphiris, adamantibus et aliis pretiosissimis ad ornamentum humanæ vitæ concessis? Quid de rebus odoriferis, zibetho, musco et similibus? Quid de aromatibus, cariophyllo, pipere et hujusmodi ad gustum oblectandum? Quid de tot speciebus aquarum calidarum, acidularum, herbarum et radicum, quarum usus est in medicinis, ut rhubarbarum et similia? His adde venas et fodinas, e quibus eruuntur chalybs, stannum, plumbum, aurum, argentum, ferrum? Quid herba, quam Itali barigliam vocant, ex qua tot tantæque vitri massæ conficiuntur, quæ crystallum ipsum referunt? Quid de terræ fructibus, qui proprii sunt hominum, uti cannæ dulces, quibus saccharum extrahitur? Quid de vermibus, quæ fila ducunt serica, quæ ornamenta præbent templis Dei et principibus terræ? Quid de summo illo magnetis miraculo, qui lapis singulari Dei providentia factus maximam commoditatem affert navigantibus et cum exteris nationibus negotiantibus, ut illius ductu merces, quæ in una regione abundant, in aliam importentur, ubi est penuria? Cum ergo Deus tot tantosque favores homini prævideat num necessaria negabit? Dicamus ergo cum anxio illo, interim tamen spe pleno Abrahamo: *Dominus providebit*, Gen. XXII. Quo etiam symbolo velut clypeo contra omnes fortunæ casus, uti solitus est Maximilianus II. imperator, teste Joanne Cratone ejus archiatro, in oratione ejus funebri.

Quinto, in hominis armatura. Magna sane præsidia contulit natura brutis animantibus ad se defendendum, sed ea tamen pauca sunt et non nisi certus eorum usus et prope unica adhibendorum ratio. Taurus in fronte, equus in pedibus arma sua circumfert, sed non nisi feriendo iis digladiari potest; canis gladium in dentibus gerit, serpens telum in lingua, basiliscus jaculum in oculis, erinaceus pharetram et jaculorum vim in dorso contra turmam canum armato, denique nullum animal adeo parvum et exile est, cui non sint arma sua, vel industria saltem ad pericula declinanda: sepia aquam denigrat et quasi in atramentum mutat, ne in ea deprehendatur:

torpedo piscantium manibus torporem induit, Cicer. lib. II. de natura deorum: echinus qui in mari degit, contra tempestatum vim scopulum amplectitur eique pertinax adheret, Ambros. lib. V. hexam. c. IX. apis contra turbinem prægravat se lapillo: lepus circa suum cubile turbat vestigia et saltu in id intrat, ad eludendum venatorem: ursus suum ingreditur vestigiis aversis, Pier. libr. XI. hierogl. aut ut volunt alii evolutat se in illud. Ælian. vulpes ut se pulicibus liberet, fœnum aut stipulam ore tenens aquam intrat ac paulatim genua, mox ventrem, hameros ac collum submergit; pulices interim omnes ad caput convenire, tum illa sensim quoque caput mergit donec pulices in fœnum aut stipulam se recipiant, quo facto se totam mergit et pulices aquis donat, Albertus Magnus, de animal. Olaus, lib. XVIII. cap. XXXI. denique nec formicæ sua bilis et humor adurelis deest, nec muscis suæ lanceæ, quas vel ore vel cauda gerunt et in hostes vibrant. Verum ut hæc omnia magna et mira sint, uti revera sunt: non tamen iis comparanda, quæ homini collata sunt. Hic enim creaturarum opera et præsidio contra omnes universi partes, ignem, aerem, aquam, terram et quidquid ex his conflatum est, munitus et securus est. Quantam hostium stragem adjumento ignis facit? Quæ mœnia non tueretur aquis in fossas derivatis? Quos aggeres non excitat erigitque in propugnacula? Annon bestiarum armis et ipse se obarmat? Nonne eorum tergora et ipse sibi coaptat? Et quanta sibi arma ex ære et ferro fabricat? Accedunt sexcentæ pugnandi artes cæsim, punctim, æminus, cominus, digladiando, jaculando, fallendo, pedestri, equestri, curruli certamine: elephantibus vehitur, a leonibus et ferocissimis bestiis portatur et trahitur. Taceo stratagemata, catapultas, arietes, bombardas, Archimedis machinas, etc.

His accedit extrinseca Dei protectio; nam et animalia illa quæ nocere homini possent, non sinit multiplicari. In Brasilia narrant esse bestiam venosissimam, quæ hominem dicto citius occidit, ne autem tanta damna humano generi inferret, providit creator, ponendo in capite ejus quasi nolam, cujus sonitu homines periculi venientis admonentur. In regione Peruana serpentes reperiuntur triginta quinque palmorum sed stolidi et inertes, quod feras quidem venentur, involvant, et exossent, hominibus tamen non noceant, Lud. Gran. in introd. in symb. lib. I. c. VI. Præter hæc defendit et tueretur nos Deus impediendo mala plurima, in quæ alias præcipitaremur; et primo, peccata et peccandi pericula innumera: secundo, diaboli insidias: tertio, damna infinita,

quæ ab elementis generi humano inferrentur, ut a ventis, a fulmine, a grandine, ab imbribus, a siccitate, a terræ motu, ab incendiis, ab eluvionibus; imo aqua sola omnia, quæ super terram vivunt, deletet, nisi Deus longe maximam ejus partem in vaporem tenuem conversam in aere suspendisset et undique diffidisset, ac nisi mare intra littora sua cõhiberet; nisi belluas perterrefaceret humani vultus aspectu, aliaque innumera.

Accedunt varia medicinarum genera, quibus a morbis et molestiis partim præservari, partim curari possumus. Habent quidem et norunt pene singula animalia sua pharmaca, cervus dictamnium ad tela extrahenda, hirundo chelidonium ad pulorum visum acuendum, serpens fœniculum ad oculos illuminandos, etc. at homo his et aliis omnibus pro libito uti potest.

Sexto, in variis divinæ ultionis et benignitatis exemplis. Tametsi enim præcipua peccatorum vindicta reservatur sæculo futuro, quando fiet omnibus justa meritorum compensatio; tamen in hoc sæculo interdum nonnulla eduntur exempla, ut homines intelligant Deum non dormire, sed sedulo excubare, et omnia advertere suo tempore puniendi. Licet ergo laxæ admodum habenæ et magna vivendi libertas hominibus concessa sit, tamen si quis temporum decursus consideret, videbit Deum non ita siluisse, quin sæpius æditis severitatis suæ exemplis homines monnerit ut serio sibi attenderent, veluti cum per diluvium totum genus humanum (exceptis octo hominibus) delevit, Gen. VI. cum Sodomam et vicinas tres civitates totamque circum regionem igne et sulphure cœlitis immisso perdidit, Gen. IX. cum Pharaonem et Ægyptios primo variis cladibus attritos, postremo in mare rubrum demersit, Exod. XIV. cum rebelles Hebræos in deserto variis pœnis castigavit, subinde vero etiam maximis beneficiis affecit. Omitto, quæ in libris Judicum et Regum legimus: captivitatem Babylonicam, obsidionem Romanorum, excidium Judæorum, in quibus omnibus mirifice elucet, quam Deus juvet et extollat pios, humiliet vero et castiget impios. Speciatim vero elucet Dei providentia in punitione blasphemæ, perjurii et sacrilegii, quæ potissimum et directe adversantur numinis reverentiæ, ideoque præ cæteris invisibili manu sæpius castigata sunt, uti contemptus Dei in Pharaone, Exod. V. blasphemia Sennacherib, IV. Reg. XVI. superbia Nabuchodonosoris, Dan. III. arrogantia Nicanoris, II. Macch. XV. blasphemia Holofernis, Judith. VI. et XIII. Antiochi regis, II. Macch. IX. præsumptio Philisthæorum et Bethsamitarum, I. Reg. V. et VI. sacrilegium Balthasaris, Dan. V. et Heliodori,

II. Macch. III. Denique, in peccatis illis atrocibus, quæ in cœlum clamare dicuntur, quod vindictam Dei celere expostulent, homicidium voluntarium, peccatum Sodomiticum, oppressio pauperum, fraudatio mercedis operariorum; quod sane ad paternam Dei providentiam spectat, ne alter nimium gravetur.

Septimo, in peccatorum permissione. Hæc enim ad specialem Dei providentiam circa hominem spectat. Primo, quia decet, ut supremus et universalis gubernator, postquam res omnes optime et sufficientissime ad finem suum consequendum instruxit, sinat eas ferri motibus suis, adeoque hominem uti libera sua voluntate, ne alioquin auxilium collatum videatur fuisse insufficientis, et bonum opus videatur coactum, nec sit tanta laude dignum. Secundo, ut creatura rationalis sese excitet ad bonum faciendum et malum vitandum, semper intenta et sollicita, ne gratiæ divinæ desit, quæ alioqui sollicitudo utique cessaret, si Deus nullum peccatum permitteret. Tertio, quia ex malis novit elicere bona, quorum primum est, ostensio divinæ justitiæ, quæ in castigatione peccatorum maxime splendet, et magnitudine divinæ majestatis, quæ tanta est ut propter ejus offensam unicuique peccatum lethiferum mereatur pœnam æternam: secundum, ostensio divinæ misericordiæ, quæ in remissione peccatorum cernitur: tertium, incarnationis mysterium et quidquid pro nobis Christus fecit et pertulit, quæ omnia non haberemus, nisi peccatum fuisset permissum: quartum, profectus salvandorum, qui promovetur ex impietate et persecutione malorum; sic Judæi Christum, tyranni martyres, fratres Josephum, Aman Mardocheum extulit ad gloriam: quintum, castigatio reproborum, quæ per alios sæpe reprobos fieri permittitur, uti Judæorum per Assyrios, Chaldæos, Ægyptios et Romanos: sextum, punitio unius peccati per aliud, quæ in pœnam reproborum sæpius permittitur: septimum, recollectio lapsi, ut se iterum erigat et teporem vel præsumptionem emendet.

Ex his septem lucernis videre utique possumus quanta sit in nos Dei providentia. Si enim, uti vidimus, ita providit bestiis, in rebus adeo exilibus, ut etiam eas docuerit artem excutiendi pulices: annon hoc argumentum est, hominem illarum imperatorem Deo magis cordi esse? Deinde, etiam vidimus, quantis in rebus homini melius providerit, quam aliis creaturis. Quare ne dubitemus, adest nobis Deus in omnibus viis nostris, ipse vires præstat, ut templum animæ nostræ, quod in baptismo extruere cœpimus, tandem consummemus